

II. p. CDLXXIII. specimen ex Evangelio *Forojul.* exhibet a nostro tamen diversum. Nostrum censet *Capita* 28. quorum primum est: *Natiuitas christi. magi cum muneribus ueniunt. & ioseph ab angelo per uisum admonitus cum puero & matre ejus in aegyptum fugit. Infantes interficiuntur. Et ultimum: Passio ihesu & sepultura. & resurrectio eius. itemque mandata & doctrina eius de baptismo. Explicit Breuiarium.* His praemissis tandem sub porticibus pulcre picturatis comparent *Canones Eusebiani.*

Fol. 21. caractere quadro aureo, argenteoque *Incipit Evangelium Secundum Math.* distributum in *Capita* XXVIII. quae respondent memorato *Breuiario*, a linea quadrata miniata incipiunt, in marginibus adstitutam habent harmoniam et in *περικοπας* minores tributa sunt. Eodem modo se habent reliqui *Evangelistae foll. 53. 76. 106.* praeunte videlicet noto *Argumento*, et *Breuiario*, quod in *Marco* a *Cap. 11.* excidit, Textu tamen integro, in *Luca Capitula* censet XXI. in *Johanne* vero XIV. Lectio rarius ab hodierna differt, et tum cum aliqua *Evangeliarum Blanchiniani* consonat. Ita *Luc. I. 3. adsequito a principio omnibus. Joh. I. 18. Deum nemo uidit unquam, nisi unige-*

nitus filius (superpositum qui est) in sinu patris, ipse enarrauit. &c.

Ad calcem praeclarissimi Codicis Manus pulcra *Sec. XII.* notavit: *Anno ab incarnatione domini nostri ihesu christi mill. XC. IIII. indictione II. dedicata est haec capella IIII. id. Julii a tiemone sanctae iuuauensis ecclesiae archiepiscopo. in honore sanctae & indiuiduae trinitatis. & sanctissime crucis. & sanctae Marię matris domini. & sancti Nycolai confessoris domini. Continentur autem in altari reliquię reconditę, quarum longa deinceps enumeratio. Nihil de hac Dedicacione in Chronico Monasterii *Lunaelac.* unde Codex nobis obtigit, nihil etiam in *vita Thiemonis T. II. Germ. sacrae Hansizii*, nisi quod ad an. supra dictum e Chronographo *Admonensi* notatur: Ecclesiam apud *Halle* ab eo consecratam fuisse. An vero hic *Hallam Salisburgicam*, an Oppidum *Hallstadium* non longe ab *Lunaelacu* distans intelligi oporteat, mihi incertum est.*

LXXXI.

Codex membraneus *Iat. Sec. R. 3307* XII. Folior. 192. f. pulcherrime scriptus, auro vividisque coloribus pro aevi arte picturatus hoc praefert *Δοδεκασιχον:*

Rerum iactura breuis est breuiter peritura.

Non permansura. sic sunt mortalia iura.

Et nil sub sole stabili durabile mole.

Vt patet expresse. quod uiuit desinet esse.

Nec repetet uitam. nisi solus homo quia dignus

Inter

Inter res uiuas tenet hoc memorabile pignus.

Vita futura bonis in porticibus salomonis.

Vita futura malis in prostibulis babilonis.

Ergo futurorum sitiens augmenta bonorum

Liutoldus monachus qui multa labore patrauit

Scripfit et istud opus. pro posse suo decorauit

Signifero celi delegans mente fideli.

Sane multa labore patrauit Liutoldus hic Coenobita Lunaelacensis, nam vasto etiam Volumine insignis καλλιγραφος Vitas SS. seu *Passionale* exaravit, quod, cum ad Historiam Ecclesiasticam pertineat, hic indicare sufficiat, et in *Chronico Lunaelac.* p. 128. Poemation ejus de Monasterii Fundatione legitur. Vixit vero et scripsit medio Sec. XII. sub Abb. *Walthero*, ut ibid. notatur, per *Celi Signiferum* innuens *Michaellem* Angelum Monasterii Tutelarem. Praefens porro ejus Opus est *Evangeliarium* multis *παρεργοις* comitatum; nam praeit *Capitulare* Evangeliorum per annum, plurimum cum eo concordans, quod supra e Codice Sec. VIII. recensui, nisi, quod ex *Osobri* nonnisi Dies VII. XIV. et XXV. memorantur, tum sequuntur omnia, quae habet mox dictus Codex, etiam *Breviarium Capitum* et pereleganter depicti *Porticus Canonum Eusebianorum*. Cujusvis Evangelistae scribentis Icon uisitur paginam in area aurata replens, pagina obposita in area violacea initium cujusvis Evangelii literis quadratis aureis exhibente, quod mire laeti margines circumdant. Nec id satis; *Lucam* enim Christi Nativitas et angelicus ad Pastores Nuncius, item

Ingressus triumphalis in *Jerusalem*; *Johannem* vero cum ultima Coena et Apostoli ad *ποδονιπτρον* dispositi, tum *Fixio* in *Cruce*, *Tumultatio*, *Descensus* in *Limbum*, variaeque *Servatoris* adparitiones ornant. *Evangelistae* omnes *Argumenta* et *Breviaria Capitum* praeferunt, quorum *Marcus* censet XIII. *Lucas* XXI. *Johannes* XIV. ut *Codice supracit.* cujus *ἀπογραφον* praefens videtur. In describendo tamen *ἀνδρωπινον τι* quandoque passus est *Liutoldus*; ita *Job. C. I.* omisit: *neque ex uoluntate carnis*, quod proclive *Librariis*, quando repetitiones uocum occurrunt; et mox scripsit: *ipse enarrabit pro enarravit*, quod rursus pronum ob adfinitatem *τ & b* et *v*, praecipue, ubi quis e distantis ore excipit, ut in pluribus *Codicibus* legere me memini: *habitabit in nobis* pro *habitavit*.

In *fol.* *Codici* praevio manu *συγχρονως* notatur: *He reliquae clausae sunt infra maiestatem huius libri. De ligno sancte crucis. Matthie apostoli Mart. Narcissi episcopi et mart. aliaeque plures.* Vides *κειμηλιον* istud primo *Theca* pretiosiore conditum sacris ritibus fortasse deservisse. Disparuit illa; verum etiam haec, qua nunc uelitur, fatis uetusta est.

LXXXII.